

rales suspensum teneant : seu qua noster intellectus , mediante speciali claritate divinitus concessa , incipiat contemplari mysteria divina , ex contemplatione minime ordinaria , seu longe sublimiore , qua majorem pulchritudinem in illis deprehendat , quam sibi imaginari potuerit ; (quam etiam ecstas in admirationis vocant :) & ecstas in voluntatis , per quam anima , cappa amore cœlesti , vibret & transferat se in Deum , derelinquens inclinationes & propensiones suas terrenas , atque intrans hoc modo in raptum fruitionis , affectionis sive unice & potenter se jungat bonitati divinæ . Credunt etiam , has duas facultates inter se quidem communicare suos raptus , dum intuitus pulchritudinis inducant nos ad amorem ejusdem pulchritudinis , & amor faciat nos illam contemplari : non tamen eas ita inter se esse colligatas , quin una esse possit sine altera ; ac boni Christiani plus aliquando habere possint amoris , quam habent cognitionis . Vid . Franc . de Sales , Lib . VII . de Amore Dei cap . III . & seqq .

LXXV . Hoc certum est , quod homines etiam simpliciores , fideles tamen , & quorum intellectus ex imperio voluntatis pie affectæ determinatur , ut objectis obscure cognitis firmiter & constanter adhæreat ; prout in supernaturalem credendorum assensum per vim & efficaciam Spiritus Sancti tanto facilius moventur , quanto minus indulgent spinosis dubitationibus ; ita etiam virtute supernaturali ac libera Spiritus S . ad ardentiores amorem bonorum spiritualium sibi exhibitorum moveantur , eaque tanquam sua ac præsentia , aut ex præsentibus pendentia atque aliquando consequenda , sic amplectantur , ut se ipsis superiores , aut sui ac rerum hujus vitæ oblii , in bonis illis defixi hæreant , ac suavisime affiantur , quamdiu actus ille supernaturalis non impeditus durat .

LXXVI . Circa ecstases autem illas , præsertim intellectus , magna cautela opus est , ne pro divino opere ac beneficio agnoscamus & amemus , quod naturale , vel naturæ vitium , vel mali Spiritus illusio est : quod etiam Franc . de Sales ipse l . c . diligenter monet . Affectare ecstases intellectus & cum Val .